Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

498

me similem fecit, ut per me et mortis mysterium
genus humanum mortis evadat supplicium. He-
lyas se proicit et in umbra iuniperi obdormit:
cum Christus suae incarnationis et passionis mys-
terium sub figura legis extendendo contegit.
Angelus domini Helyam tangit: quia visitatio pa-
tris in dispensatione assumptae carnis Christum
convenit. Surge inquit comede: nascendo
de virgine, conversando et praedicando in car-
ne salutem mundi operare. Helyas respicit: dum
filius dei in fine temporum humanitatis habitum
induit. Et ecce ad caput suum subcinericius pa-
nis et vas aquae. Caput Christi deus: panis subcine-
ricius est assumptae mortalitatis habitus: vas aquae
est in assumpta humanitate gratia caelestis doc-
trinae. Helyas comedit et bibit: quia Christus conversando
in carne et praedicando esuriem et sitim suam suorumque
fidelium salute reficit. Helyas rursum obdormit:
cum Christus peracta carnis dispensatione debitum mor-
tis in cruce pro humani generis redemptione ex-
solvit. Angelus domini secundo revertitur: cum miseratio
dei patris in redemptione humani generis Christum mor-
tem prosequitur. Angelus Helyam tangit, eique cibum
facit: cum maiestas dei patris animam Christi de in-
ferno revocat et eum de sepulchro resuscitat.
Surge inquit de sepulchro et comede, esuriem
tuam refice electorum omnium salute. Grandis enim
tibi restat via: quantum distat caelum a terra. Gran-
dis tibi restat via: quia tuae incarnationis mysteria
omnium gentium pertransibunt in via. Helyas sur-
git, comedit et bibit: quia Christus de sepulchro resur-
git et totius mundi salute esuriem et sitim suam refi-
cit. Helyas in fortitudine cibi illius XL diebus et
XL noctibus ambulat: quia Christus post resurrectionem
suam assumptae immortalitatis incorruptione
humanitatem suam vegetat, donec eam die XLmo
caelis inferat. Helyas usque ad montem dei Oreb
pergit, quod exsiccata dicitur: quia Christus resurgens a mor-
tuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.
Helyas usque ad montem dei Oreb pergitur: quod

solitudo dicitur: cum Christus post resurrectionem
suam desertum illud revisit: ubi nonaginta novem
oves dimisit. Helyas ad montem dei Oreb pergit,
qui ardor dicitur: cum Christus die XLmo caelos as-
cendit, unum spiritum sanctum in linguis igneis discipulis
suis mittit. SEQUITUR. Cumque venisset
illuc, mansit in spelunca. Et ecce sermo domini ad
eum, dixitque illi: Quid hic agis Helya? At ille
respondit: Zelo zelatus sum pro domino deo exerci-
tuum: quia dereliquerunt pactum domini filii Israel. Al-
taria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt
gladio, et derelictus sum ego solus, et quaerunt
animam meam ut auferant eam. Et ait ei: Egre-
dere et sta in monte coram domino. Et ecce dominus tran-
sit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes
et conterens petras ante dominum. Non in spiritu dominus.
Et post spiritum commotio. Non in commotione dominus.
Et post commotionem ignis. Non in igne dominus.
Et post ignem sibilus aurae tenuis, ibi dominus.
Sic et sic loquitur puella: quia aliis et aliis
figuris sancta scriptura Christum prosequitur mysteria.
Helyas in spelunca manet: cum Christus in sepul-
chro iacet. Sermo domini ad Helyam dirigitur:
cum vox dei patris Christum in sepulchro alloquitur.
Quid hic Helya agis? quid in sepulchro fili dei facis?
Helyas respondet: cum Christus sepulturae suae mys-
terium expandit. Zelo zelatus sum pro domino deo
exercituum: quia tabescere me fecit zelus meus pro
illo contemptu creatoris angelorum et hominum.
Quia pactum domini filii Israel dereliquerunt: quia primi
illi parentes generis humani ad videndum dominum
in paradyso positi praeceptum creatoris sui
a serpente decepti contempserunt. Altaria tua
destruxerunt: dum spiritum, animam et corpus suum, quibus
hostiam laudis offerre deo debuerunt, in potesta-
tem mortis per peccatum tradiderunt. Prophetas tuos
gladio occiderunt: dum quo dominum semper laudare
debuerunt, quo aeternitatis scientiam habere potuerunt,
seipsos iudicio mortis peccando addixerunt.
Et derelictus sum ego solus: quia ego solus